DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
PNEUMONIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ROBERTUS MOORHEAD,

HIBERNUS,

AD LEGIONEM XXIII. EQUITUM

NECNON

COLL. REG. CHIR. LOND.

CHIRURGUS.

Vidi quæ edidi.

Calendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXI.

VIRO SPECTATISSIMO

JOANNI HENNEN, M. D.

SOC. REG. EDIN. SOC.

SOC. REG. PHYS. EDIN. SOC. EXTR.

SOC. MED. NOVÆ AURELIÆ SOC. HONOR.

NOSOCOMIOR. EXERCIT. BRITAN.

INSPECTORI VICARIO;

&c. &c. &c.

HANC DISSERTATIONEM,

SINCERUM QUAMVIS TENUE ANIMI GRATI

OB MULTA BENEFICIA

ET AMICITIÆ ACTA,

QUIBUS EUM SEMPER DIGNATUS EST

MONUMENTUM,

CONSECRAT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PNEUMONIA.

Auctore R. Moorhead.

PRÆFANDA.

Pneumonia, sive propter aggressionis frequentiam, momentumve partium, quæ sint affectæ, aut propter quosdam maxime lethalium morborum, quibus corpus humanum est obnoxium, inductos, æstimanda est morbus magni ponderis. Fabrica pulmonum delicata, atque integra eorum actio tam necessaria ad continuationem vitæ, monstrant esse morbum, ubi quamprimum reme-

dium adhibere debeat; ubique tale, quibusdam occasionibus, est perseverandum, usque ad amplitudinem iis vix credendam, qui experientiam practicam talibus in casibus non habuere. Igitur singularem attentionem medici, optime meretur, quoniam mutabilitate nostri climatis, morbus est, qui adeo frequenter sub sua cura cadet.

Distinctionem auctores nonnulli fecere inter inflammationem, quæ parenchyma pulmonum afficit, eamque afficientem membranam quæ iis circumdatur; attamen nullum bonum practicum adducunt tales distinctiones; hac de causa, de inflammatione quæ viscera thoracis afficit, sub nomine commune Pneumoniæ, de qua celeberrimus Cullenus, definitionem sequentem dat, "Pyrexia; dolor in aliqua thoracis parte; respiratio difficilis; tussis," aliquid dicam.

HISTORIA MORBI.

Quibusdam temporibus anni præ cæteris, invalescere solet hic morbus; nempe, hyeme et verno, qui ætate florente, atque plethorico habitu, præ

omnibus, huic morbo obnoxii sunt, et impetum semel morbi passi fuerunt, ad ejus reditum procliviores existunt.

Plerumque languor, lassitudo, atque frigoris sensus, præcedunt. Quibus succedit sitis, calorisque universo corpore sensus; pulsus validus, plenus, durusque micat; dolor plerumque obtusus, diversis thoracis partibus, quinetiam frequenter parte circumscripta, sentitur; atque inspiratione plena multum augetur. Febrili actione jam incepta, dolor fere est fixus in quodam thoracis loco, vel latere, ubi posterius, apud costam septimam habitat; interdum vero ad claviculam, usque aut scapulam tendens. Respiratio evadit gravior, præsertim si in latere affecto decumbit æger; tussis nunquam abest, et vehementer dolorem urget; ab initio sputi fere expers, sed in morbi cursu humidum evadit, quod ejectum in plurimis exemplis multum differt; colore albido vel subflavido, haud raro sanguine spumoso florente tinctum, et spissitudine incerta; observatum est, ut effusio sanguinis lenis fere, ad signa urgentia mitiganda tendit. Si non sint sublevata hæc symptomata remediis opportune applicatis,

febris gravior urget; alvus astricta, urina parca ac rubra, cutis et fauces aridæ, cum siti inexplebili inveniuntur. Vultus ferox, oculi suffusi, anima fœtida, atque delirium, superveniunt. Hic status non longo tempore manet; respiratio magis difficilis evadit, cum orthopnœa; pulsus acceleratus et imbecillis fit; facies collapsa est atque livido colore, ut etiam labia oculi hebescunt, sudores frigidi et viscidi oriuntur, frigida fiunt extrema, et æger infelix mortalitem explet.

MORBI FINES.

Huic morbo sunt terminationes, quæ phlegmasiarum ordinem fere comitantur: nempe, resolutio aut suppuratio; his quoque a nonnullis dictum est accidere gangræna. Effusio sibimet propria terminatio est. De singulis horum finibus pauca in ordine disseram.

Resolutio,—quæ semper in majori morborum numero exoptanda est, plerumque in hoc, aptis remediis tempestive adhibitis, citius vel ocius, an-

te diem septimum contingere solet. Hunc eventum doloris remissio, tussis facilior, magisque libera respiratio, cutis sudore leni obducta, et per omnes partes æqualiter diffuso, atque fluxus urinæ auctus, multum sedimenti deponens, accidisse denotant; sæpe sanguinis cursus ex naribus, cum biliosa diarrhœa, morbi finem adesse monstrant. Sin autem æger libere ac copiose materiam mucosam albidam, vel subflavam, aut sanguine tinctam expuat, et omnia signa jam enumerata mitiora fiunt, certiores nos reddunt morbum decedere incepisse.

Suppuratio.—Nos dant rationes hunc eventum metuere, si ultra decimum diem maxime sæviunt inflammationis symptomata, quamvis doloris remissio sit. Tamen spirandi difficultas augetur, sputum eodem tempore supprimitur; horrores ac rigores ægrum moleste habent; pondus sensitur in loco, ubi dolor ante erat; et crebrius vexat respiratio, ni homo in latere affecto recumbat. Pus, vomica dirupta in cellulas aëreas effusum sit, atque ægri suffocationem inducat; vel tussi ejectum læsionem pulmonis ostendit; quod

denique in phthisin desinat; aut in cavum thoracis irrumpens, empyema gignat.

Gangrœna.—Hic morbus in gangrænam abire rarissime accidit: sed si ad hunc fidem tendit, et vis inflammationis magna fuit, aut a principio neglecta, vel remediis minime idoneis, aucta; manifesta erit, si dolor subito quiescat; vultum pallidum collapsumque exhibens, anxietatis singularem aspectum, (tam insigniter descriptum ab HIPPOCRATE): Vel si anima male oleat; sputum nigrescat fœtidumque, sudores frigidi circa corpus erumpentes, extremitates frigeant, pulsus omnino parvus debilis et inæqualis fiat, delirium, singultusque succedant, morbo finem brevi impositura sunt.

Effusio.—Maxime communis terminatio est Pneumoniæ ubi in mortem desinit, et præcipue timenda, si morbi duratione, vires ægri admodum fractæ sint; haud infrequenter lethalem inducet suffocationem; hoc accidit ubi serum, aut sanguis vasis ruptis, in substantiam spongiosam, vel in vesiculas pulmonum, infunditur; quo fit ut pariter

impediuntur respiratio ac sanguinis transmissio; infaustam terminationem in effusione insigniunt, dyspnœa magna, facies livida atque tumida, oculi suffusi, sputum subito suppressum, pulsus debilis ac intermittens; cum obscuro fluctuationis in thorace sensu.

DIAGNOSIS.

Morbi, qui maximam similitudinem huic morbo habent, sunt Catarrhus, Peripneumonia notha, Pleurodynia, et Hepatitis.

Catarrhum simplicem ab hoc morbo discriminare facillimum est, quia pondus frontis, lacrymatio, coryza, cum faucibus aliquando raucis, notant: sin autem, ad pulmones tendet usque, quod insignitur tussi sicca, respiratione difficili, atque pectoris dolore, sub plena inspiratione aucto, vix distingui potest, nec ullius momenti est, quia propria remedia utrisque æqualiter respondent.

Peripneumonia notha—est varietas veræ Pneu-

moniæ, et plerumque illos provectiori ætate, et quorum vires intemperantia fractæ sunt, aggreditur. Insignitur facie livida, respiratione admodum difficile, et mitiore dolore in pectore. Attamen admittendum est haud raro his morbis esse talem similitudinem ut distingui nequeant accurate, certeque.

Pleurodynia,—id est, musculi thoracis Rheumatismo affecti, confundi posset cum Pneumonia; autem in pleurodynia, dolor multum augetur situs corporis mutatione, et pars affecta, manu pressa, dolet; interdum hæc rubescit, et haud infrequenter cum articulis alternat; sed dolor est sub plena inspiratione minime aucta, unde a Pneumonia facile dignosci potest.

Hepatitis.—Ab jecinoris inflammatione, facile potest discerni Pneumonia; dolor enim in hypochondrio dextro sedem habet, et ingravescit premendo, sæpe ad summum humeri dextri et claviculam usque tendens; atque ægrotus in latus sinistrum male cubat; æger fere plus minusve afficitur singultu, vomituque; sputum deficit quam-

vis urget tussis: fæces albidæ, cum subflavido oculorum colore, respiratio haud multum affecta; sunt notæ, quæ adeo frequenter, huic morbo adsunt, ut nequeat falli medicus expertus.

PROGNOSIS.

Est magnum periculum, si remedia ab initio apta, non fuerint libere exhibita. Sin autem tempestive admota, signorum vehementia, ætas, habitusque ægri, prognosin temperabunt.

Si febris maxime æstuet, atque magna jactatione stipata, respiratio difficilis, et non exercenda nisi corpore erecto, cor crebrius aut languidius micet, turgeant cervicis vasa, livescat vultus, cum pulsu exili et intermittente, sputum supprimatur, et haud excreatur nisi difficulter, in gutture strepens; erumpant in corpus frigidi sudores, et extrema frigescant livescantque; omnia hæc signa infaustissima sunt. Sin autem sanguinis de-

tractio, atque alia remedia idonea tempestive adhibita, valent vires morbi diminuere, quo fit, quod jam dicta symptomata leniora evadunt; sublevantur difficultas spirandi, tussis atque pectoris dolor; materia excreata est copiosa, crassa, et subflavidi aut viridis coloris, vel exiguis sanguinis striis variata. Præterea, si eveniant sanguinis fluxus e naribus, vel lenis diarrhœa, aut urina copiosa, multum sedimenti lateritii deponens, atque sudore tepido sponte toto æqualiter corpore oriente; hæc debent afferre nobis, spem exitus felicis. In summa senectute, ubi sæviunt symptomata, atque ubi ob debilitatem, propria auxilia adhibere vix sinunt, semper danda est prognosis caute, et plerumque infausta erit.

SECTIO CADAVERIS.

Cavitate thoracis patefacta, pleura inflammata, densata, et opaca, conspicitur; atque inter

pleuram pulmonalem, costalemque, multis in locis adhæsiones formantur. Pulmones inflammationis signa manifesta, sæpe ostendunt, nunc floridi, nunc coloris caryophylli; sanguinis vel lymphæ, in eorum substantia, effusiones inveniuntur, quod eos subsidere efficit, quum in aquam sint positi. Aliquando in substantiam jecinoris haud dissimilem, convertuntur. Nonnunquam in pulmonibus abscessus, nunc magni, nunc parvi, reperti sunt; alio tempore, tantum unus permagnus pulmonis locum occupat; hi aliquando in ramulos asperæ arteriæ, aut in quoddam cavorum thoracis, aperturas habent. Etiam in substantia eorum seri collectiones, vel in cavis pericardii, vel bronchiorum, pectorisque deprehenduntur.

METHODUS MEDENDI.

Successus administrandi medicamenta in hoc morbo tempestiva adhibitione pendet, atque quo-

niam symptomata, plerumque multum periculi indicant, remedia ei pro violentia signorum accommodare oportet, quandoquidem frequentissime adoritur eos, qui florente ætate gaudent, nihil spem nobis subministrabit, nisi evacuationes copiosæ. Hoc tribus modis nobis licet efficere; *primo*, actionem cordis et arteriarum minuendo, sanguinis detractione; *secundo*, alvum ducendo pungantium usu; *tertio*, secretionem cuticularem eliciendo, diaphoreticis exhibitis.

Venæsectio,—ubi ægro est constitutio robusta ac plethorica, atque maxime urgent signa, innitendum solum libera detractione sanguinis; quantitatem detrahendam, temperabunt res variæ, quamvis plus boni expertum erit, sequi unam amplam exinanitionem (ad morbum frangendum, ut GREGORIUS celeberrimus in præclaris ejus prælectionibus dicere solebat,) quam multas minores. Triginta aut quadraginta unciæ, primum pleno rivo, sint missæ. Multi sanguinem detrahere solent medici, eo usque dolor sit allevatus; aut donec apparent signa, que syncopen appro-

pinquare monstrant. Et ab hoc tractandi modo, multum boni profluxisse vidi. Repetenda est venæsectio, si rursus augescant symptomata, quanquam forsitan in minore quantitate. Quoties talis missio sanguinis debet repeti, est ordinandum, secundum vires ægri, signorum violentiam, prudentiamque medici; constat enim nullam finem statuere possumus, nisi aliquid certi in conspectu habeamus. Superficiem coriaceam albam non possumus æstimare signum certum inflammationis præsentis, nam interdum sanguine sanorum adest; sed ejus absentia nequaquam denunciat, sanguinem non eliciendum, ubi alia signa gravem inflammationem urgere monstrant, quandoquidem non apparet in sanguine semel vel etiam bis extracto, sed tertia vice contra detegitur. Ubi habitus ægri talis est, qualis generales evacuationes prohibet, hirudines sunt applicandæ aut cucurbitulæ cruentæ, parti affectæ; hæc bona sunt adjuvantia quum dolor fixus est, ubique tantum sanguinis venæsectione detrahi nequit quantum vehementia symptomatum postulat.

Epispastica.—Proximum locum venæsectioni,

procul dubio tenent vesicatoria. Post primam vel secundam evacuationem, admovendum est supra sedem doloris emplastrum meloës vesicatorii amplum, nam plurimum ad morbum resolvendum confert; non solum per exinanitionem agit, sed inflammationem partis cui impositum excitando, vim habet internam sublevandi: plus boni oritur vesicatoriis iteratis, quam ab iisdem ulceribus conservatis.

Purgantia.—Multum dissentiunt medici quoad purgantium usum hoc in morbo, quia duxerunt alvum deplere, raro morbi cursum limitare tendit; attamen ab hoc non esse penitus negligenda opinor; constat enim in principio morbi, quum recte et tempestive adhibita; actionem intestinorum excitando, et fluxum ab eorum superficie interna augendo, excitationem vasorum diminuere multum adjuvant; hoc consilio, sales medii in magnis (quamvis magis conveniunt in divisis) dosibus, præ omnibus maxime laudantur, et omnia generaliter Refrigerantia nominata, præferenda sunt. Modus quo hæc classis putatur prodes-

se, est, quo certius vasa exhalantia primæ viæ sunt stimulata; sine actionem generalem augendo, eo plus sanguinis versus partem aortæ inferiorem vertitur; et evacuationibus iterum iterumque repetitis, sanguinis moles minuitur, hinc vasa pulmonum sanguinea exonerantur. Alia purgantia in usu sunt, ut submurias hydrargyri, convolvulus jalapæ, cassia senna, &c. Enemata emollientia in provecto morbi stadio melius respondent, quia alvum ducunt, nec debilitatem ægri inducendo.

Diaphoretica.—In morbi initio, medicamenta hujus classis summa cura sunt adhibenda, quia fere magis stimulant systema; ubi libere depletum fuit corpus, perspirationem lenem elicere exoptandam est; ardorem cutis allevare, capitis dolorem amovere, sitim sistere, pulsum moderare, et omnia signa tolerare, sæpe efficit diaphoresis. Hoc consilio, hæc solummodo eligenda quæ morbo melius conveniunt; administrantur optime forma aquæ acetatis ammoniæ; haustus ex carbonate sodæ et acido citrico confecta, jam efferves-

centis; vel tartritis antimonii; quod *ultimum* exiguis in dosibus (vomitum evitandi causa) nauseam excitat, et sputum maxime promovet.

Diluentia quoque usurpata, utilissima sunt remedia; horum, decoctum hordei, avenæ, aut lini; aqua pura etiam acidis plantarum imbuta, aut supertartrite potassæ acidulata, præcipue in usu sunt.

Expectorantia.—Ad liberam expectorationem promovendam, utimur inhalationibus aquæ tepidæ, vel aquæ aceto commistæ: medicamentum hujus classis quod hodie in usu est, statuere possim Scillam maritimam, a multis multum laudatur; sed ejus effectus potius ancipites sunt.

Demulcentia.—Oleosa olim maxime usurpata, et laudata fuerunt, ut emulsio spermatis ceti, olei, &c. Sed nunc penitus neglecta; quia alia magis commoda sunt; ut gummi Acaciæ Arabicæ, et similia; at hæc ventriculum onerant. Donec

morbus jam progressus est, valde nocivum est opium, quia corpus stimulat, et sputum restinguere tendit; attamen ubi post evacuationes idoneas, febris et spirandi difficultas decreverint; quum tussis jam graviter vexat, nec ægrum dormire sinit, tum opio uti necesse est; tunc feliciter exhibetur, forma tincturæ opii camphoratæ, nocte, vel diaphoreticis conjunctum, ut solutione tartritis, vel vini antimonii in dies. Ubi morbus obstinatus perstat, tardeque remediis concedit, aut indicia effusionis sese ostendunt, exhibeamus submuriatem Hydrargyri, vel per se, vel opio conjunctum, in repetitis dosibus, ut quamprimum propria sui signa in corpore ostendat. Hoc morbi stadio pariter usurpatur digitalis, vel forma pulveris, vel tincturæ, nec negandum est variis exemplis multo eheu! in plurimis sine ullo beneficio.

Dum evacuationibus utimur, ad urgentem inflammationem debellandum, regimen antiphlogisticum stricte observandum est; et omnia quæ actionem cordis excitent, ut liquores spirituosi, &c. ab adstantibus sedulo sunt evitanda. Calorem

cubiculi quo æger dormit, temperare inventum est, plurimis casibus multum proficisse; temperies est ministranda, quod gradum Fahrenheitii sexagesimum non superest; cibus blandus, tenuisque ægro maxime convenit, ut farinacia, sorbitiones, &c.; et fruges maturæ, ac subacidæ, valde gratæ sunt, nam febrem tollunt, sitimque restinguunt. Sed diæta diligenter est mutanda, dum ad valetudinem progreditur ægrotus.

Tametsi in Pneumonia fere adest synocha, nihilominus haud raro typhus comitatur, præcipue si ægrotantes locos paludosos habitent, vel miasmati eorum objiciantur, eodem tempore quo patent causis quæ Pneumoniam inducant. Hæc species morbi Peripneumoniam Typhoideam Sauvagesii constituit; et remediis similibus est debellanda, quibus ordinariis statibus tractatur morbus, præter evacuationes generales; quæ sunt limitandæ, secundum signorum violentiam et medici observationem.

FINIS.